

- 12 Non est mirum quod sunt victi,
quod sic morti sunt addicti,
nam majores et minores,
corrumpentes bonos mores,
sectabantur vicia.
Erant enim viri duri,
repugnantes omni juri,
falsi testes et perjuri,
mechi, fures, Epicuri,
quorum deus dolia;
- 13 Oppressores advenarum,
vastatores viduarum,
exactores egenorum
et predones pupillorum,
repulsa justicia.
In vestitu sumptuosi,
in ornatu studiosi,
compti, docti superbire,
curiosi lascivire,
proluentes mendacia.
- 14 Plorans plorat Rachel pia,
non admittens solacia,
Tartharorum malicia
filiorum tot milia
cesa brevi spacio.
Nata Syon luget, via
venit ad se nemo quia,
nec filius nec filia,
matris agens solempnia,
pacis in naufragio.
- 15 Truculentus hostis furit,
dei domus ignis urit,
tempus transit lucis feste,
non honeste, sed moleste
cum multa mesticia.
Non salutis officium
pro salute fidelium
in hac vita vivencium,
nec a carne migrancium
aguntur obsequia.
- 16 Blasphemantur sancti dei,
sacra tractant viri rei,
violantur ornamenta,
temerantur sacramenta
hostili nequicia.